



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis,  
Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis**

**Nieremberg, Juan Eusebio**

**Paderbornæ, 1711**

Decas VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](#)

jiciendum, cùm danda largiris, quām cùm  
data recipis.

## DECAS VIII.

71. Ut pro cæteris sanè judices, fac  
semper proximus personam tuam occu-  
pet, & tu illius. Si malè habitus es, cogi-  
ta te alterum malè accepisse. Si offendis-  
sti quempiam, credito te ab alio offen-  
sum: ità querelas tuas sapienter compo-  
sueris.

72. Quod in alterum contuleris, nun-  
quam videatur magnum; quod ab alio ac-  
ceperis, nunquam parvum. In minuta  
aliorum errata nè irruas acerbis arbiter,  
neque tua graviora excuses quasi nescius  
errare.

73. Non expetas semper aliis justitiam,  
tibi verò gratiam; alios strictè, te cle-  
menter ac fgraviter haberi. Quæ male-  
dici imponunt, non te commoveant illi-  
co, illud autem, quod tu dixeris, nè in-  
nocuum putas.

74. Si quem propensiùs colueris, non  
continuò à culpa exemptum credas: ne-  
que si quem oderis, confessim quidquid  
eget, scelestum putas. Malè semper

H6

judica-

judicatur affectibus, ibique sententia suspecta esse debet, ubi sui amans animus pro se arbiter sedet. Amor pretium rebus non tribuit, sed accipit. Potest in adverso tibi latere virtutis aliquid, ut in amato tantundem vitii.

75. Monstrum sis, si cor duplex habueris, quorum alterum tuis, alterum alienis rationibus impendas. Nempe uni Rationis Legi Voluntas obtemperet. Unde prosint, non unde delectent, res æstimandæ sunt. Mentem in verum fige, non in apparentia boni simulacra.

76. Cæteris cur succenseas, quod commodis suis invigilent; cum & ipsi patiantur te tuis studere? Non te offendat, quod alii querantur de te, si velis, ut ipsi credant, justas esse querelas tuas.

77. Talem te habe cum aliis, qualis cupis haberi ab illis: talis quoque studeas esse cum Deo, qualem ille se exhibet tibi. **A**bea, quâ ille te accipit, ratione disce, quam tu in alios debeas servare. Patiens tolerat, quæ facis, mala, nec desinit opere tibi & gratiam largiri. **Q**uid quereris, si ex tuo te more homines accipient, & uti

ca

tu Deo, pro gratia injuriās reponant? qui  
noverit se, abutendo creaturis offendisse  
Numen, pati debet, ut & illa instrumen-  
ta fiant vindicis Dei, rependāntque inju-  
riam ipsi irrogatam. Ne unicæ quidem  
obmurmurandum est: singulæ enim ul-  
trices sunt sui Creatoris.

78. Dei arbitrio te tuaque ex integro  
permitte: solatum sit, quidquid statue-  
rit de te ab æterno. Sive te obscurum ve-  
lit, seu gloriâ fulgentem: sive donis &  
gratiis abundare, seu omnibus destitui:  
sive anxiū compungi, seu liberum deli-  
ciari: quæcunque demum aspiret tibi fors  
favoris aut pressuræ, te fidum & aman-  
tem ei præbe. A piissima illius manu, quid-  
quid ingruit, seu grave sit aut maximè ad-  
versum, animo excipe non patienti so-  
lùm ac demisso, sed hilari etiam ac gra-  
to, confidens nihil non à paterna illius  
providentia disponi in bonum tuum.

79. Quando malum avertere, aut in  
melius commutare nullo conatu potes,  
curam omnem permitte Deo: expectan-  
da est modestè Divina sententia, quæ sa-  
pientissimus Arbiter statuat vel amoliri

H7

peni-

penitus malum, vel bonum indè elicere.

80. Si non potes hilariter, certè moderatè tuleris, quæ tibi infertur injuria. Probra sustinuit Christus longè acerbiora mansuetudine insueta. Cohibe impetum surgentis iræ, & oculos intende in Divinam manum, quæ justissimè, & nullus dubita, ex purissimo amore patitur tibi malum irrogari, etiam ab homine ignaro se administrum esse, & adimplere consilia illius.

### *DECAS IX.*

81. Age potiùs, quod alieni arbitrij est, quàm quod tui: fac voluntatem Dei, fac voluntatem fratri, fac voluntatem injuriantis & inimici, si absque peccato potes, potiùs quàm tuam. Nempe nihil ità æstimaveris, utì premium obedientiæ.

82. Supra alios te nunquam extuleris: præter te contempseris neminem: æstima te inferiorem, quin & viliorem cæteris: patere, ut illi tibi legem dicant, & propter Deum te omnibus probare stude: monita etiam postremorum nè respueris: denique convenientius duxeris demissè culpam agnoscere, quàm cum pertinacia amoliri.

83.